



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

2. Ut eo magis &c. Bulla ad Philippum Francorum Regem revocatoria  
reservationum beneficiorum à Bonifacio factarum, & liberam Ordinariis  
super Beneficia restituit potestatem: anno 1304.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO  
1303.BENEDICTUS X. DICTUS XI.  
PONTIFEX CXCVI.

ANNO DOMINI MCCCIII.

**B**enedictus antea Nicolaus Bocasinus Opilionis Filius ex Tarvisinâ Civitate, Ordinis Prædicatorum Generalis, anno 1303: Bonifacio successit. Matrem suam splendidis ornatam vestibus agnoscere noluit. Obiit anno 1304. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. Tom. I. fol. 182.*)

I.  
Ex Cod.  
Dipl. Leib-  
nitii Tom. II.  
pag. 319.

Declaratio Excommunicationis contra compli-  
ces violentiæ Prædecessoris ipsius Bonifa-  
cio VIII. factæ Perusii 7 Id. Junii an. 1304.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei ad perpetuam rei me-  
moriâ.*

**F**lagitiosum scelus & scelestum flagitium, quod quidam sceleratissimi viri summum audentes nefas in personam bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, non sine gravi perfidia commiserunt puniendum, profœqui ex iustis causis hucusque distulimus; sed ulterius sustinere non possumus, quin exurgamus, imo Deus in nobis exurgat, ut dissipentur inimici ejus & ab ipsius facie fugiant, qui oderunt eum. Dissipentur, inquam, si verè peniteant, sicut ad prædicationem Jonæ, Ninive conversa est; aliàs ut Jerico subvertantur. Olim siquidem, dum idem Bonifacius Anagninæ, propriæ originis loco, cum sua curia resideret, ipsum nonnulli ditionis filii, primogeniti Saranæ, & iniquitatis alumni, pudore postposito & reverentia retrojecta, prælatum subditi, parentem liberi, & Vassalli Dominum, Guilielmus scilicet de Nogareto, Raynaldus de Supino, Thomas de Morolo, Ropertus filius dicti Raynaldi, Petrus de Genezzano, Stephanus filius ejus Adinolphus & Nicolaus nati quondam Matthiæ, Giffredus Bussa, Orlandus & Petrus de Luparia-cives Anagnini: milites Sciarra de Columna, Joannes filius Landulfi, Gottifredus natus Joannis de Ceccano, Maximus de Trebis, & alii factionis ministri, armati hostiliter & injuriosè ceperunt, manus in eum injecerunt impias, protervas erexerunt cervices, ac blasphemiarum voces funestas ignominiosè jactaverunt. Eorum etiam facta & opera, per ejusdem factionis complices & alios thesaurus Romanæ Ecclesiæ ablatus violenter extitit & nequiter asportatus. Hæc palam, hæc publicè, hæc notorie, & in nostris etiam oculis patrata fuerunt; in his læsæ majestatis, perduellionis & sacrilegii; Legis Juliæ de vi publica, Coinclia de Sicariis, privati carceris, rapinæ, furti & tot alia, quot ex hujusmodi facinoribus secuta crimina & felonix etiam delictum commissa notamus: in iis stupidi facti sumus: Quis crudelis hic à lachrymis temperet, quis odiosus compassionem non habeat? Quis deses aut remissus Judex ad procedendum

non surgat? Quis pius sive misericors non efficiatur severus? Hic violata securitas, hic immunitas temerata, propria patri tutela non fuit domus, refugium summum Pontificium dehonestatum est, & suo capto sponso, Ecclesia quodammodo captivata. Quis locus reperietur à modo tutus? Quæ sancta Romano violato Pontifice, poterunt inveniri? O piacularè flagitium, o inauditum facinus! O Anagnina misera quæ talia in te fieri passa es! Ros & pluvia super te non cadant, in alios descendant montes, te autem transeant; quia te vidente & prohibere valente, fortis cecidit, & accinctus robore superatus est. O infelicissimi patratores non imitati, quem nos imitari volumus S. David, qui in Christum Domini, etiam inimicum, persecutorem & æmulum suum, quia dictum erat, nolite tangere Christos meos) manum extendere noluit; & in extendentem irrui gladio justè fecit. Infandus dolor, lachrymabile factum, perniciosum exemplum, inexpressibile malum, & confusio manifesta. Sume lamentum Ecclesiæ, ora tua seribus rigent, & in adiutorium debite ultionis filii tui de longe veniant, & filia tuæ de latere surgant. Verum quia scriptum est, feci judicium & justiciam & honor regis judicium diligit, nos in prædictis sic judicium, quod ad honorem nostrum pertinet, facere cupimus, quod à justitia minime divertamus. Ideoque forma juris, quæ sicut hæc sunt servatur in notoriis, observata præfatos superius nominatim expressos ceterosque participes, qui hæc in sæpe dictum Bonifacium, in personis propriis exercuerunt Anagninæ, omnesque qui in iis dederunt auxilium, consilium, vel favorem, denuntiamus de Fratrum nostrorum consilio, præsentem hac copiosa multitudine promulgatam à Canone excommunicationis sententiam incurrisse, ipsosque peremptoriè, quatenus infra festum sanctorum Petri & Pauli proximè venturum, personaliter compareant coram nobis, justam, dante Domino, nostram supra præmissis, quæ, ut prædicitur, notoria sunt, audituri sententiam, nostrisque mandatis & jussionibus parituri humiliter. Alioquin, eorum non obstantè absentiâ, contra eos via incedentes regia, procedemus. Hanc autem citationem nostram, quam non sine causa, ex certa scientia facimus, ipsos arctare volumus, sicut si eorum quemlibet apprehendisset. Ut autem hujusmodi noster processus, ad communem omnium notitiam deducatur &c.

Datum Perusii 7. Idus Junii Pontificatus anno I.

Bulla ad Philippum Francorum Regem revocatoria reservationum beneficiorum à BONIFACIO factarum, & liberam Ordinariis super Beneficia restituit potestatem: anno 1304.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, charissimo in Christo Filio Philippo Regi Francorum illustri, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

**U**T eo magis erga Deum & Apostolicam sedem Regalis devotionis excrecat affectus, quo sibi gratiosam sedem repererit

ANNO  
1304.

II.  
Ex Mem. du  
Clergé de  
France Tom.  
2. P. 309.

supra

ANNO  
1305.

suprà dictam, votis tuis annuimus, & tuas petitiones, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Dudum siquidem Bonifacius Papa VIII. Prædecessor noster certis ex causis provisiones omnium Cathedralium Ecclesiarum & Regularium tunc in Regno vacantium, vel quas tunc vacare contingeret, dictæ sedis dispositioni reservare duxit, districtius inhibendo omnibus ad quos jus eligendi, postulandi Prælatos in ipsis desideriis, aut confirmandi electiones, vel admittendi postulationes, vel alias earundem Ecclesiarum provisio, vel quævis alia dispositio pertineret, hujusmodi electionibus, postulationibus, confirmationibus, admissionibus, & provisionibus, & quibuscunque dispositionibus istarum Ecclesiarum se intromitteret hujusmodi reservatione durante quoquo modo præsumerent; ac de cætero decrevit ex tunc irritum & inane si fecus super hoc à quoquam fuerit scienter, vel ignoranter attentatum. Nos autem celsitudinis regalis obentu, pro cuius parte super hoc nobis extitit supplicarum reservationem, inhibitionem & decretum hujusmodi Apostolica auctoritate revocamus. Volentes ut prædicti omnes hujusmodi jure illis competente, cum tempus ingruerit, utantur liberè, sicut prius nihilominus provisiones ac confirmationes electionum factæ post reservationem, inhibitionem, & decretum prædictum in dictis Ecclesiis, dummodo alias Canonice fuerint, plenam obtineant firmitatem. Nec electiones, & postulationes factæ postmodum in prædictis Ecclesiis ex eisdem reservatione, inhibitione, ac Decreto, quin debitum sortiantur effectum, possint quomolibet impediri.

Datum Viterbii 14. Kalendas Maji: Pontificatus nostri anno primo.

CLEMENS QUINTUS,  
PONTIFEX CXCVII.

ANNO DOMINI MCCCIV.

Clemens Vasco, prius Bertrandus Agoutius, anno 1305. Lugduni coronatus est, ubi muri ruinâ Johannes Dux Britannia, Galliardus Papæ Frater oppressi, Philippus Pulcher, & Carolus Valefius lesi: Diadema Pontifici excusum est, ingentis pretii gemmâ amissâ. Hic sedem Apostolicam Româ Avenionem transtulit; Mox Viennæ Concilio habito excidium Templariorum decretum, Crux in Valdenses assumpta, Reformatio Ecclesiæ tentata. Tandem deceffit anno 1314. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 184.*)

I.  
Ex Archiv.  
Angl. Rimer  
Tom. 2.  
p. 277.

Bulla Angliæ Regi de Provisione pro suo Nepote: anno 1305.

CLEMENS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem.*

Habet in te Fili carissime, firma spei nostræ fiducia, quod, ad nos & Romanam Ecclesiam habens reverentiam filialem, ea quæ nostro grata sunt animo, placida tuis votis accedant, & illa intentis studiis ac plenis affectibus prosequaris.

Nuper siquidem Ecclesia de Maniffestro Conventren. & Lichfelden. Dioc. per resignationem ejusdem Ecclesiæ Rectoris vacante nos, volentes ut ipsa Ecclesia tali committeretur personæ, cujus industria salubria in spiritualibus & temporalibus susciperet incrementa, eandem Ecclesiam dilecto filio Raymundo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, Nepoti nostro, tunc in minori officio constituto, duximus conferendam. Quare celsitudinem Regiam rogamus & hortamur attentius, quatinus vota tua in hac parte nostris confirmans affectibus, hujusmodi collationem nostram, etiam si Ecclesia ipsa ad dispositionem tuam forsitan pertineret, ratam habens & gratam pro reverentia Apostolicæ sedis & nostra, velis hac vice æquo animo tolerare; per quam nec volumus, nec intendimus juri tuo, si quod in collatione, vel alia dispositione ipsius Ecclesiæ habere dignosceris imposterum derogare. Et si de præfata Ecclesia alteri forsan tua serenitas providisset, provisionem imitare velis eandem, ipsumque nepotem nostrum in possessione pacifica ejusdem Ecclesiæ tue potentia brachio, prout opportunum extiterit, protegas & defendas. Præterea, cum idem Nepos noster pro adipiscenda possessione Prioratus de Orthingham, sive Selle. Dunelmen. Dioc. per nos nuper sibi collatis, ad partes Angliæ Procuratores suos transmittat ad præsens, Celsitudinem Regiam iterato rogamus quatinus, quod Prioratus ejusdem possessionem pacificam valeat obtinere, Procuratoribus ipsis assistas favoribus opportunis. Sic igitur in hujusmodi nostrarum precum exauditione te nobis exhibeas liberalem, quod sinceritatem devotionis, quam ad nos & Apostolicam sedem te habere confidimus, valeamus cum gratiarum actionibus commendare.

Datum Lugdun. 6. Calendas Jan. Pontificatus nostri anno primo.

Ad Angliæ Regem, ne Nunciis Pontificiis molestias inferat: anno 1306.

CLEMENS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Clarissimè patere consuevit operibus, nosque sine ulla dubitatione tenemus, quod eximia devotionis ad eum & Apostolicam sedem claritate præfulgidus, Ecclesiæ Romanæ commoditates & necessitates prudenter advertens, suis profectibus desideranter intendis, & studio sollicitudinis operosæ, ac intento prosequeris animo, quæ Apostolicæ sedi placitura, & profutura cognoscis: Prudentia Regia, præsertim in Regno tuo, diligenter evitans, quæ ipsis Ecclesiæ ac sedi ad displicentiam, vel dispendium redundarent. Profecto magnificentiam tuam Apostolicis litteris alias rogasse meminimus, ut dilectis filiis magistris, Guilielmo Testa Archidiacono, Aranan. in Ecclesia convenarum, & Guilielmo Geraldii, Canonico Rothomagen. Capellanis & Nuntiis nostris in Anglia, quos ad partes illas pro certis nostris, & dictæ sedis negotiis duximus destinandos, cum opus esset,

ANNO  
1306.

II.  
Ex Archiv.  
Angl. Rimer  
Tom. 2.  
pag. 1017.